VNIVERSITATI LITTERARIAE

LVDOVICO-MAXIMILIANEAE

ANTE HOS CCCC ANNOS CONDITAE

SOLLEMNIA SAECVLARIA

KAL. AVG. ANNI MDCCCLXXII

CELEBRANTI

RITE GRATVLANTVR

VNIVERSITATIS TVRICENSIS RECTOR ET SENATVS.

INEST

ARNOLDI HVG DISPVTATIO

DE GRAECORVM PROVERBIO:

αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.

TVRICI

TYPIS ZVERCHERI ET FVRRERI

1872.

VNIVERSITATI LITTERARIAE

LVDOVICO-MAXIMILIANEAE

ANTE HOS CCCC ANNOS CONDITAE

SOLLEMNIA SAECVLARIA

KAL. AVG. ANNI MDCCCLXXII

CELEBRANTI

RITE GRATVLANTVR

VNIVERSITATIS TVRICENSIS RECTOR ET SENATVS.

INEST

ARNOLDI HVG DISPVTATIO

DE GRAECORVM PROVERBIO:

αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.

TVRICI

TYPIS ZVERCHERI ET FVRRERI

1872.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
LVDOVICO-MAXIMILIANEAE
RECTORI ET SENATVI
VNIVERSITATIS TVRICENSIS
RECTOR ET SENATVS
S.

Ἄκλητον ἥκειν ἐπὶ δεῖπνον Graecis tam rusticum atque inhumanum uidebatur ut in eorum comoedia is qui quamuis non esset inuitatus conuiuiis interesse soleret in irrisionem incideret grauissimam. Quis enim ignorat illud Epicharmi:

συνδειπνέω τῷ λῶντι, καλέσαι δεῖ μόνον,
καὶ τῷ γα μηδὲ λῶντι, κωὐδὲν δεῖ καλεῖν?

Idem poeta iam quantopere despiceret id genus homines apertissime significauit: ad sordidam enim et seruilem eius adulationem cuius hospitalitate abuti uelint se descendere profitentes eos inducit hisce uerbis quae sequuntur:

τηνεῖ δὲ χαρίεις τ' εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν
γέλωτα καὶ τὸν ἱστιῶντ' ἐπαινέω,
καὶ κά τις ἀντίον τι λῇ τήνῳ λέγειν
τήνῳ κυδαζόμαι τε κἀπ' ὦν ἠχθόμαν.

Epicharmum autem poetam Siciliensem qui teste Athenaeo (VI 235 F) primus hanc personam induxerat secuti sunt Attici comici permulti. Quo nomine eam ille significarit prorsus ignoratur: hi autem post-

quam Eupolis generaliori adsentatoris h. e. *κόλακος* nomine usus est in celeberrima illa fabula, quae *κόλακες* inscripta in Callia eiusque sociis exagitandis uersabatur, inde a mediae quam dicunt comoediae temporibus[1]) Ararote Aristophanis filio in Hymenaeo ut uidetur praeeunte *παρασίτους* eiusmodi homines adpellare consueuerunt. Testimonio sunt cum ampla ex diuersis fabulis exhausta fragmentorum multitudo quorum maxima pars Athenaei sedulitati debetur tum etiam fabulae hoc ipso nomine insignitae Alexidis Antiphanis Diphili. Est uero etiam ubi nomen uarient: *παραμασήτης* quod idem fere significat, inuenitur apud Alexin Mein. F. C. III 492, apud Timoclem III 597; *παραμασύντης* Alexid. III 486 Ephipp. III 328 ubi *παραβόσκειν* quoque uerbum extat:

> ἐμασώμεθ' οὕτως ἀνδρικῶς ὅσ' εἴχομεν
> καὶ γὰρ παραμασύντας τινὰς παραβόσκομεν

quibus addas Hesychii glossam: *μασύντης παράσιτος*, quae fortasse ex comico aliquo fluxit. *Ἐπισίτιος* deinde parasitus adpellatur Timocl. III 610, qua uoce proprie significatur is qui pro alimento accipiendo seruit cf. Athen. VI 246 F.; sic etiam uerbum *ἐπισιτίζεσθαι* eodem sensu iam apud Pherecratem in fabula quae *Γρᾶες* inscripta est usurpatum est Mein. II 266: in eodem fragmento parasitus comice uocatur *λαρυγγικὸς ἐπὶ μισθῷ ξένος*. Eodem etiam pertinet *τρεχεδείπνου* nomen, quod Athenaeus ex Alexide nobis tradidit VI 242 C.; conferas deinde *ἀσύμβολοι* uocem apud Diphil. IV 411 alios. Cur autem nec *παραμασήτης* nec *ἐπισίτιος* nec aliae id genus uoces in fabularum titulis ipsis adhibitae sint, quippe quibus aut comica quaedam uis aut generalior insit notio, non est quod longius exponam. Eupolidis tamen

---

[1]) In Xenophontis conuiuio in quo Philippus *γελωτοποιός* cum parasiti persona quae a comoedia describitur omnibus numeris congruit, frustra *παρασίτου* nomen quaeras.

exemplum posterioribus temporibus Menander secutus est in ea fabula quae inscripta est κόλαξ: ex qua Terentius confitetur se „personas transtulisse in Eunuchum suam". De Philemonis Colace rem incertam esse ostendit Mein. IV 155.

Has autem comicorum reliquias in quibus haec de qua dixi persona exagitatur si perlegeris, ab aliis aliter eam describi inuenies: qua de re adeas O. Ribbeckii libellum: über die mittlere und neuere attische Komoedie pg. 32 seqq. Irridetur enim eorum edacitas (apud Diphilum alios), quae ne loqui quidem eos sinit, irridentur turpes atque inurbani quibus in edendo utuntur mores (apud Alexin), irridetur quod iam in Epicharmi fabula factum erat turpissima adsentatio qua etiam insulsissima domini dicta admirari se simulant: irridentur ipsorum facetiae scurriles quibus student risum mouere conuiuarum. His enim artibus cauere solent ne si ἄκλητοι uenerint aut ui propellantur aut miserrime uapulent: quod lepidum in modum Acestori cuidam factum esse narratur in Eupolidis κολάκων fragm. 1 (Mein. II 485). Qui igitur parasitus esse uult, in eo insit necesse est et impudentia et facilitas quaedam, qua omnibus rebus aduersis nil admirari suum tamquam clipeum opponat ut ait Diphilus IV 406: οὐ δεῖ παρασιτεῖν ὄντα δυσάρεστον σφόδρα. Haec autem facilitas morum coniuncta esse debet cum fortitudine quadam qua etiam polleat ad plagas sustinendas. Ac re uera fuisse inter eos, quibus robur et aes triplex circa pectus esset, ut ne si miserrime quidem flagris fustibus colaphis uapulassent deterrerentur quominus denuo in alienas epulas irruerent, ubicumque culinae odor adlexisset eos, Eupolidis uerbis demonstratur quibus secundum Meinekii restitutionem II 487 describit eos, quos

οὐ πῦρ οὐδὲ σίδηρος
οὐδὲ χαλκὸς ἀπείργει
μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον.

Vide etiam Aristophontem, a quo parasitus lepide adpellatur ὑπομένειν πληγὰς ἄκμων III 357, Axionicum III 534 alios.

Hi igitur uiri fortes, quos tanquam optimates inter parasitos esse indicat Alexis εὐποροῦντας eos uocans eosque opponens τοῖς ἀλύουσιν III 434, fortitudine sua atque adulandi sollertia id adsequebantur, ut domini quidam quos τρέφοντας dicunt eos saepissime ad cenam uocarent; apud Diphilum parasitus ipse dicit IV 404: ὅταν με καλέσῃ πλούσιος δεῖπνον ποιῶν; σίτησιν enim eis tribui h. e. idem quod Olympionicis Timocles III 595 significat: οὗ γὰρ μὴ τίθενται συμβολαί, πρυτανεῖα ταῦτα πάντα προσαγορεύεται. Idem uero homines quamquam industria sua ac strenuitate τρέφοντας suos inuenerunt, tamen ne nunc quidem a consuetudine desistunt ad illos ipsos uel ad alios etiam si uocati non sint ueniendi: ita ut diuites nonnulli qui hoc bene norint propter id ipsum ne semel quidem eos inuitare omittant: quid enim, inquiunt illi, lucri tibi erit, si non uocaueris? ueniet ille nihilo setius. Qualem inuitationem desperatione extortam nitide expressit Apollodorus Carystius IV 449: καλῶ δὲ Χαιρεφῶντα· κἂν γὰρ μὴ καλῶ ἄκλητος ἥξει. Illud autem conamen quod ἄκλητον ἥκειν uerbis indicatur cum ne his exercitatissimis quidem fortissimisque parasitorum inprimis si in domini minus noti aedes irrumperent ab omni periculo esset liberum, maxima cum cautione uel dolo rem suam agere solebant ut ianitores saltem qui primi intrantes uiderent deciperentur. Ita „Chaerephon ille nouus“ quem Apollodorus Carystius inducit IV 447 sic sese in conuiuium nuptialia sollemnia praecedens insinuauit, quod sponsus amicis suis separatim adparasse uidetur, ut sportula munitus incederet fingens sese a sponsa uenire altiles adferentem, quas illa ad hoc conuiuium sponso suo mittere uellet dono. Quam facultatem insinuandi in alienam cenam inter alia bellissime excogitata cognomina quibus se

ipse parasitus ornat apud Antiphanem III 111 hoc modo indicat ut sese muscam adpellet: *δειπνεῖν ἄκλητος μυῖα*, quocum conferas quod idem poeta iocatur III 134: parasitos cum muscis Olympicis comparans quibus ex Plin. hist. nat. XXIX 6, 34 constat Eleos tauro deo cuidam quem Myioden uocabant inmolato ut abirent persuadere consueuisse. Sin autem limine feliciter superato post aliquantum temporis a conuiuis uel a domino ipso deprehenderentur ad lepidas excusandi ambages confugiebant eius generis quod Diodorus Sinopensis exponit III 544: nobilissimam hanc esse parasitandi artem utpote inuentam a Joue ipso cum ceterae omnes profectae essent a sapientibus quidem, at hominibus:

ἐπὰν κλίνας ἴδω
ἐστρωμένας καὶ τὰς τραπέζας εὐπρεπεῖς
καὶ τὴν θύραν ἀνεῳγμένην, εἰσέρχομαι
ἐνθάδε σιωπῇ καὶ ποιήσας εὐσταλῆ
ἐμαυτὸν ὥστε μὴ 'νοχλεῖν τὸν συμπότην.
πάντων ἀπολαύσας τῶν παρατεθέντων, πιών,
ἀπέρχομ' οἴκαδ' ὥσπερ ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος.

Distinguendae inter se igitur sunt duae locutiones quarum prior est: *ἀσύμβολον εἶναι* uel *δειπνεῖν*, pro quo etiam comice Timocles III 596: *ἀσύμβολον κινεῖν ὀδόντας* dixit, Ephippus III 338 *ἀσύμβολον χεῖρα προσβάλλειν βορᾷ*; ex uulgari sermone ductum quod item comici saepe dicunt *τἀλλότρια δειπνεῖν* cf. Xen. Conu. I, 11[2]) — quibus omnibus parasitus significatur siue vocatus aduenit sive inuocatus; altera autem

---

[2]) Liceat etiam lusum adponere Matronis parodiarum scriptoris apud Athen. IV 134 D

σχεδόθεν δέ οἱ ἦν παράσιτος
Χαιρεφόων, πεινῶντι λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς
νήστης, ἀλλοτρίων εὖ εἰδὼς δειπνοσυνάων.

ἄκλητος uox id quod per se patet inuocatum tantum indicat. Coniungitur cum ἥκειν uel εἰσδῦναι uerbis (apud Apollod. Car.) cum ἐπὶ δεῖπνον ἐλθεῖν (apud Cratinum) πέτεσθαι (apud Antiphanem); conferas etiam Aristophanem ipsum in Δράμασιν ἢ Κενταύροις II 1057 (= Dind. fr. 266): χωρεῖ δ' . . . ἄκλητος ἀεὶ δειπνήσων quod de Hercule dictum esse Bergkius arbitratur; poeticum deinde colorem habet αὐτόκλητος uocabulum in Plut. symp. VII 6 extrem., adhibetur praeterea αὐτόματος de quo postea uidebimus, apud Lucian. Lexiph. 9, Jou. trag. 37 inuenitur αὐτεπάγγελτοις. — ἀσύμβολον autem esse posse etiam κληθέντα uide sis in scholiis ad Theocr. Id. VII 28:

ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται
ἢ χωλός ἐστιν ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Medium quendam locum inter ἀκλήτους et uocatos obtinent ei qui ipsi non uocati a domino cenae adducuntur ab eorum aliquo qui inuitati sunt: Plut. Symp. VII 6: τὸ δὲ τῶν ἐπικλήτων ἔθος οὓς νῦν σκιὰς καλοῦσιν et q. seqq. Quamquam ἐπικλήτους quos Aristophanes Pac. 1266 nominat falso puto ab interpretibus huc trahi, quia ibi nihil causae est cur de „extraordinariis“ conuiuis cogitemus; ἐπίκλητος igitur uox cum recte a scholiasta Aristophanis κεκλημένος εἰς δεῖπνον explicari mihi uideatur ut idem sit ac simplex κλητός, haec quam Plutarchus eius notionem nobis proponit recentioribus temporibus exorta esse putanda est, id quod confirmatur etiam eo quod in ceterorum comicorum fragmentis non extat. Nec magis Plato eam nouit loco celeberrimo Conu. 174 B seqq. Quod uero σκιὰς Plutarchus hos conuiuas nunc adpellari dicit, id nescio an ex latino sermone haustum sit: ubi umbras eos nominari ex Horatii duobus locis, Sat. II 8 22, Ep. I 5 28, res est nota. Hoc quidem apertum aptissime hanc umbrae uocem siue a Graecis prius hoc factum est siue a Latinis ad-

hibitam esse ad significandos eos quibus, ut umbra a corpore pendet nec separari se ab eo unquam sinit, sic uestigiis eius conuiuae esset instandum, qui eos domino cenae nescio inuitasset: subtilitatem autem ipsam distinguendi hos ἐπικλήτους ab ἀκλήτοις ceteris recentioris esse aetatis, ubi mos ille iam inualuerit, testimonio sunt quae apud Plutarchum sequuntur. Qui quod hoc loco ad Platonem prouocat in cuius Conuiuio Socrates ipse inuitatus Aristodemo ut secum ad Agathonis cenam ueniret persuaserit, monendum est hoc quoque pertinere ad illa in quibus diuinus ille et philosophus et poeta Xenophontem ita imitatus est ut simul quae apud hunc mediocria et uulgaria essent altiore quadam et subtiliore excoleret ratione.[3]) In Xenophontis enim Conuiuio postremus intrat Philippus γελωτοποιός eius prorsus generis, quale a comicis describitur: δειπνεῖν τἀλλότρια paratus (I 11). — νομίσας γελοιότερον εἶναι τὸ ἄκλητον ἢ τὸ κεκλημένον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ δεῖπνον, etsi nondum παράσιτος adpellatur, quod supra commemorauimus pag. 2 not. 1. Secutus est quodammodo Plato, secuti esse etiam uidentur alii conuiuiorum scriptores, ita ut inuocati persona inde a Xenophonte tanquam id genus scriptionum propria habita sit: uelut

[3]) Quod enim multis abhinc annis contra C. F. Hermannum disputans in Philol. VII 683—695, »über das gegenseitige Verhältniss der Symposien des Xenophon und Plato,« ego demonstrare studui, Platonem conuiuium suum post Xenophontem scripsisse, id firmiter me etiam nunc tenere nec ullo modo eis argumentis quae egregius ille uir cuius aduersarius factus eram in Philol. VIII 329 seqq. mihi iratius quam uerius obiecit, ab hac sententia deduci potuisse hac oblata occasione monitum uelim. Adsensum in hac re tuli Koechlyi Bernhardyi (uide Rettigii scriptionem academicam Bern. 1864) Rettigii ipsius quamuis de leuioribus rebus a me dissentientis: in eandem partem inclinare uidetur etiam G. Sauppius, quanquam dubitanter loquitur uti solet: (cf. editionem Xenophontis operum Tauchnitzianam V p. 70). Magnam denique uoluptatem illis annis iuuenis perceperam eo quod mihi nuntiatum erat Boeckhio quoque qui ipse primus hanc sententiam, cuius ueritatem accurate demonstrare studebam, obiter proposuisset in libello anno 1811 de simultate X. et Pl. edito, me commentationem meam probasse.

in Luciani Conuiuio 12 ἐπεισέπεσεν ὁ κυνικὸς Ἀλκιδάμας ἄκλητος ἐκεῖνο τὸ κοινὸν ἐπιχαριεντισάμενος, τὸν Μενέλαον αὐτόματον ἥκοντα, qui mirum quam perfecte hoc impudentiae munere functus est.

Verum enimuero postquam permultis exemplis demonstrauimus quanto fuerit dedecori non uocatum ad conuiuia accedere, si quis quaerat ubi sit laudata illa omnium antiquarum nationum hospitalitas, quae quantopere apud Graecos floruerit non solum ex Homero sed etiam ex posterioris aetatis scriptoribus praeclarissimis exemplis elucet, ei in hunc modum erit respondendum: apud comicos uel conuiuiorum scriptores non agi de peregrinis uel hospitii iure cum domino cenae coniunctis sed de eiusdem loci incolis, hospitalitatem deinde erga ciues uel eiusdem urbis incolas in hoc ipso positam fuisse, ut ditiores uiri alios ἐπὶ δεῖπνον uocarent, cum uocarentur hospites ἐπὶ ξένια; uersari denique comoedias in describendis urbium Graecarum condicionibus, in quibus omnibus eandem opinionem de immodestia eius qui se alienis epulis obtruderet ualuisse consentaneum sit solis exceptis Cyrenaeis si Alexidi credendum Mein. III. 492:

Ἄνθρωπος εἶναί μοι Κυρηναῖος δοκεῖς·
κἀκεῖ γὰρ ἄν τις ἐπί τὸ δεῖπνον ἕνα καλῇ,
πάρεισιν ὀκτωκαίδεκ' ἄλλοι καὶ δέκα
ἅρματα συνωρίδες τε πεντεκαίδεκα

uel etiam Myconiis; in sterili enim insula ut in Mycono hoc non fuisse turpe quod ex Archilocho Athen. I 7 F uerbis ἀκλήτου ἐπεισπαίοντος εἰς τὰ συμπόσια Μυκονίων δίκην nobis notauit nemo mirabitur.[4])

[4]) Lepidissime etiam Damis Epicureus (Luc. Jou. trag. 37) diis quasi quandam barbariam exprobrat qui Aethiopum hospitio abutantur: ἔθος γοῦν αὐτοῖς συνεχῶς ἰέναι παρ' αὐτοὺς μετὰ δαῖτα καὶ αὐτεπαγγέλτοις ἐνίοτε.

Sed nulla lex sine exceptione. Cum enim facile etiam in urbibus accidere posset ut in eo quod quis non inuitatus ad cenam ueniret inesset aliquid honorifici gratiosi lepidi, ut aut dominus cenae ipse summo honori id sibi duceret aut qui ueniret illi hoc honori ducendum esse putaret, in promptu etiam erant prouerbia quaedam quibus id factum esse atque rectissime quidem factum excusaretur. De his nunc dicere in animo est: omnia haec ad unam sententiam redire mecum uidebis.

Ex poetis vel prosae orationis scriptoribus haec habeo quae adferam:

1. Ex ignoto poeta qui Bergkio comicus fuisse uidetur Poet. lyr. gr. pg. 704 (Athen. I 8 A): *ἀγαθὸς πρὸς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἑστιασόμενος ἧκον· κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. ἀγαθὸς — ἧκον* posterioribus omissis etiam ab Eustathio ad Il. Σ 376, pg. 1148 laudantur tamquam Archilochi ipsius uerba.

2. Archilochi fr. 78 B: ab eodem Athenaeo l. l. adlatum

. . . πολλὸν δὲ πίνων καὶ χαλίκρητον μέθυ
οὔτε τῖμον εἰσενεγκὼν . . . . . .
οὔτε μὴν κληθεὶς . . . ἦλθες, οἷα δὴ φίλος (φίλοις)
ἀλλά σ' (ἡ)γαστὴρ νόον τε καὶ φρένας παρήγαγεν
εἰς ἀναιδίην.

In tertio uersu Meinekium quam Bergkium in supplementis sequi malui, quod additum illud *φίλοις* ceteris huius prouerbii formis magis respondere uideretur. Quamquam ex uerbis ipsis non patet utrum amicus uocatus an inuocatus adesse solere dicatur: tamen hoc alterum eandem ob causam praefero, quia sic demum prouerbium congruit cum reliquis. Quod si recte disputaui non ob id uituperatur ille quod *ἀσύμβολος* (u. 2) et inuocatus (u. 3) uenerit sed quod etsi ut

amicus ad amicos ita uenerit tamen ad intemperantiam impudentiamque se abripi sit passus.

3. Bacchylides fr. 33 (ex Athen. V 178 A):

Βακχυλίδης δὲ περὶ Ἡρακλέους λέγων ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τοῦ Κήυκος οἶκον φησίν

ἔστη δ' ἐπὶ λάϊνον οὐδόν,
τοὶ δὲ θοίνας ἔντυον, ὧδέ τ' ἔφα·
αὐτόματοι δ' ἀγαθῶν
δαῖτας εὐόχθους ἐπέρχονται δίκαιοι
φῶτες

quod confirmatur etiam a Zenobio II, 19: αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται: οὕτως Βακχυλίδης (sic nunc legendum ex codice quodam apud Miller. Mélanges de lit. grecque p. 380 [cf. Leutsch. in philol. Anzeiger I pg. 109] pro corrupto Ἡράκλειτος quod in Ἡσίοδος Schneidewinus mutari uoluerat) ἐχρήσατο τῇ παροιμίᾳ, ὡς Ἡρακλέους ἐπιφοιτήσαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν Κήυκος τοῦ Τραχινίου, καὶ οὕτως εἰπόντος. Prius illud οὕτως uidetur ad sententiam tantum spectare. Eodem etiam pertinet mutilum Schol. Plat. ad Conu. 174 B de Hercule et Ceyce testimonium.

4. Cratinus in Pylaea ex Schol. Platon. ad l. l. = Mein. fr. II 111.

οἴδ' αὖθ' ἡμεῖς, ὡς ὁ παλαιὸς
λόγος, αὐτομάτους ἀγαθοὺς ἰέναι
κομψῶν ἐπὶ δαῖτα θεατῶν.

5. Liban. Epist. 84: Κέλσος γὰρ ὁ τῶν παρ' ἡμῶν ἄριστος, τῶν δὲ ἐκεῖ μετὰ σὲ τοῦτο ἀκοῦσαι πρέπων, αὐτόματος ἐπ' ἀγαθῶν συνέδριον ἀγαθός.

6. Nicetas Eugenianus III 259 (Hercher scriptores erot. II p. 468) ἀεὶ τὸ φιλοῦν αὐτόκλητον, φιλότης. Haec duo exempla Schneidewini diligentiae debentur ad Zenob. II 19.

7. Plut. quaest. sympos. VII 6 fin. *Φιλίππῳ μὲν γὰρ ἐδόκει τῷ γελωτοποιῷ τὸ αὐτόκλητον ἐπὶ δεῖπνον ἐλθεῖν γελοιότερον εἶναι τοῦ κεκλημένου· ἀγαθοῖς δὲ καὶ φίλοις ἀνδράσι παρὰ φίλους καὶ ἀγαθοὺς σεμνότερόν ἐστι καὶ ἥδιον, ἂν μὴ καλέσασι μηδὲ προσδοκῶσιν ἐν καιρῷ παραγίγνωνται μετὰ φίλων ἑτέρων* et q. seqq.

8. Similem eiusdem prouerbii periphrasin facile deprehendas in Demetrii Phalerei uerbis apud Athenaeum V 177 F: *οἶμαι γὰρ ἕκαστον τῶν χαριέντων ἀνθρώπων ἔχειν καὶ οἰκεῖον καὶ φίλον, πρὸς ὃν ἂν ἔλθοι θυσίας οὔσης τὸν καλοῦντα μὴ περιμείνας.*

Quibus accedunt grammaticorum testimonia:

1. Paroemiographorum Zenob. II, 19: *αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἵενται*, eiusdem II, 46: eadem forma nisi quod *ἴασιν* pro *ἵενται* ibi scriptum est; ibidem cum illa comparatur haec noua forma: *ἀκλητὶ κωμάζουσιν ἐς φίλων φίλοι;* idem nisi quod *ἐς φίλους* apud nonnullos extat legimus apud Diogen. I 60. Apost. I 92. Macar. I 69. Gregor. Cypr. Cod. Mosq. I 78 etc.: hi omnes utramque exhibent formam. Mantiss. Prou. I 30: *αὐτόκλητοι κωμάσουσι φίλοι παρὰ τοῖς φίλοις.*

2. Aliorum grammaticorum Suidas s. u. *ἀκλητὶ* utramque prouerbii formam habet, Eustath. Il. pg. 1148 et pg. 247 alteram, Schol. ad Platonis Conu. 174 B priorem. Memorabile etiam est scholion ad Lucian. Conu. 12: *Ἀλκιδάμας αὐτόματος ἦλθεν, αὐτόκλητος· οἱ γὰρ οἰκεῖοι καὶ γνήσιοι* (h. e. *αὐτόματοι ἥκουσιν*) *ἣν δέ τις μὴ τοιοῦτος παρεισέφρησε, διεβάλλετο* cf. Eustathium quoque ad Il. pg. 1148 qui eadem ex antiquioribus fontibus profert. In his uerbis *οἰκεῖοι* sunt *φίλοι, γνήσιοι* autem *ἀγαθοί.*

Inde igitur adparet hoc prouerbium, cuius ex scriptoribus et antiquis et recentioribus octo uel si dubitare uelis de altero quod in

Archilocho deprehendere nobis uidebamur, septem certissima praeter grammaticorum auctoritates testimonia supra exhibuimus, ipsis testium uerbis adlatis, et antiquum fuisse et notissimum. Confirmatur id etiam Cratini uerbis: ὥς ὁ παλαιὸς λόγος. Ac profecto tale prouerbium quo et simplicissime et elegantissime indicaretur amicitia et hospitalitas quae inter bonos esse deberet, haud indignum erat quod a multis cognosceretur. Vide etiam quomodo bonorum et amicorum uel propinquorum notiones permutentur; utramque notionem coniunctam inuenies in primo et septimo exemplo et in Luciani scholiasta.

Iam uero duplex fuisse prouerbium ad illum Platonici Conuiuii locum 174 B interpretes clamant ad unum omnes, et ita quidem duplex, ut non solum, quod supra iam factum esse uidimus, similes inter se notiones permutarentur, sed ut in altera forma alteri contraria inesset sententia. Praeter enim illud αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν uel ἴενται quod ab omnibus agnoscitur fuisse etiam dicunt hoc: αὐτόματοι ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν pro quo nuper etiam δειλοὶ δειλῶν propositum est. Quodsi concedam fieri posse ut prouerbia quaedam inter se repugnent sic ut quod hic pro certo adfirmatur uel praecipitur idem negetur illic uel dissuadeatur, tamen meo iure quaeram equidem, quod eius generis exemplum unquam sit inuentum ubi haec prouerbia eisdem efferantur uocibus praeter unam illam, qua ut contraria sint efficiatur. Sed esto hoc: testes audiamus. Paroemiographorum unus Zenobius noui huius prouerbii: ἀγαθοὶ δειλῶν testis est (II 19): praeter eum Athenaeus V 178 A, et scholium Platonicum huic de quo diximus loco adscriptum: apud omnes ceteros et grammaticos et paroemiographos et scriptores ipsos his ex-

ceptis quos testimonii causa adfert Zenobius altissimum de hoc prouerbio silentium. Quo accedit quod statim adparet hos tres testes pro uno esse habendos (siue Didymus fuit siue etiam Aristophanes Byzantinus) cum hauserint ex uno eodemque fonte qualicunque inter se ratione cohaerent. At poterat hic unus ad quem omnia redeunt grammaticus grauissimus esse auctor, si ex poetis uel aliis scriptoribus exempla adferret. Quae res quomodo se habeat uideamus: praeter Eupolin et Platonem nemo nobis indicatur, a quo hoc prouerbium usurpatum laudatumue sit. Et quod Zenobius postquam solitam quam diximus prouerbii formam Bacchylidis testimonio confirmauit, pergit in hunc modum: *Εὔπολις δὲ ἐν χρυσῷ γένει ἑτέρως φησὶν ἔχειν τὴν παροιμίαν· αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν·* hoc de Eupolidis fabula, cui aureum uellus nomen erat, testimonium facile dicas Platonis scholiastae uerbis refutari, apud quem statim Cratini illos quos supra cognouimus uersus nulla re addita uerba sequuntur haec: *καὶ Εὔπολις ἐν χρυσῷ γένει*, ita ut si scholiastam audias, ex eo consequatur, Eupolin eodem esse prouerbio usum quo Cratinum h. e. *αὐτόματοι ἀγαθοὶ ἀγαθῶν* e. q. seqq.

Quodsi ex aequo haec duo testimonia scholiastae et Zenobii ponderare uelis, uix diiudices utram formam Eupolis adhibuerit, quippe de quo inter se pugnent ei duo quos testes adhibuimus, quandoquidem neuter hoc gratum nobis fecit, ut uerba poetae ipsa, qualia in contextu orationis erant, nobis ante oculos poneret. Sin uero, quae Rettigii sententia est, scholiastae uerba corrupta esse ratus uel quod Leutschius uoluit (pg. 109) errasse eum, Zenobii testimonium illi anteponere uolueris, ita ut accuratius ille putetur quam scholiasta grammatici ipsa uerba laudasse, tum etiam accurate oportebit uerba eius interpretari: *ἑτέρως φησὶν ἔχειν τὴν παροιμίαν.* Quae si quid uideo

sic sunt explicanda, ut non tantum significent: „aliam huius proverbii formam protulit", quod graece esset: παρ' ᾧ ἑτέρως ἔχει ἡ παροιμία, sed ut eius esse accipiantur qui quodam modo ipse confessus se a uulgato prouerbio discedere correxerit id quod uulgo soleret dici. Hanc autem quae comicum decet siue parodiam dicis siue emendationem prouerbii alicuius quam per iocum proposuerat Eupolis in serium uertisse uidetur grammaticus. Haec de testimonio ex Eupolide adlato. Comicus autem poeta si quod prouerbium mutauit uel emendauit, haud licet quod loco ueteris substituit, hoc et ipsum prouerbiorum numero habere.

Superest igitur unus Plato ex Zenobii uerbis qui sic pergit: καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῷ συμποσίῳ οὕτως αὐτῇ ἐχρήσατο: quibuscum conuenit lemma Platonici scholii; ex Athenaei autem uerbis qui l. l. haec habet: αἳ δὲ παροιμίαι ἣ μέν φησι »αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν«, ἡ δὲ »αὐτόματοι ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν« utrum prouerbiorum quae ille quoque distinguit tribuerit Platoni haud dispicias. Necessario igitur quamuis ἄκοντι θυμῷ coactus sum etiam de hoc uexatissimo Platonis conuiuii loco disserere, de quo nuper disputauerunt Rettigius programmate Bern. anni MDCCCLXIX et Leutschius qui philol. Anzeiger I pg. 106 satis acerbe eius censuram egit. Quibus nunc tertium ita me esse comitem uolo ut, quod saepe fit inter philologos, tertiam ipse proponam sententiam. Antequam autem rem adgrediar, eos lectores, qui postquam tres iam eius prouerbii quod Platonis menti obuersatum sit formae ab interpretibus excogitatae nec sine studio defensae sunt (ἀγαθοὶ δειλῶν ab longe plurimis a scholiasta usque ad Stallbaumium Rettigiumque, ἀγαθοὶ ἀγαθῶν a Schleiermachero Lachmanno Ottone Jahnio, δειλοὶ δειλῶν ab Meinekio Leutschio) ego ne quartam commendare uelim uereantur hoc metu statim liberabo: subsistam

enim in altera, cuius auctor Schleiermacherus fuit, defendenda: hoc solum mihi uindicans, ut ostendam, ex Platone ipso non posse hanc rem tam luculentis disceptari argumentis, ut si Platonem solum respiciamus, de uera forma proverbii cuiquam persuaderi possit; necesse igitur esse quod adhuc nondum factum esse uidi nos etiam in reliquos accuratius inquirerē prouerbii auctores. Platonis autem uerba sunt haec: *ἀλλὰ σύ, ἦ δ᾽ ὅς, πῶς ἔχεις πρὸς τὸ ἐθέλειν ἂν ἰέναι ἄκλητος ἐπὶ δεῖπνον; κἀγώ, ἔφη, εἶπον ὅτι Οὕτως ὅπως ἂν σὺ κελεύῃς. Ἕπου τοίνυν, ἵνα καὶ τὴν παροιμίαν διαφθείρωμεν μεταβάλλοντες, ὡς ἄρα καὶ ἀγαθῶν* (Lachm. *Ἀγάθων᾽*) *ἐπὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοί. Ὅμηρος μὲν γὰρ κινδυνεύει οὐ μόνον διαφθεῖραι ἀλλὰ καὶ ὑβρίσαι εἰς ταύτην τὴν παροιμίαν. ποιήσας γὰρ τὸν Ἀγαμέμνονα διαφερόντως ἀγαθὸν ἄνδρα τὰ πολεμικά, τὸν δὲ Μενέλεων μαλθακὸν αἰχμητὴν, θυσίαν ποιουμένου καὶ ἑστιῶντος τοῦ Ἀγαμέμνονος ἄκλητον ἐποίησεν ἐλθόντα τὸν Μενέλεων ἐπὶ τὴν θοίνην, χείρω ὄντα ἐπὶ τὴν τοῦ ἀμείνονος. ταῦτ᾽ ἀκούσας εἰπεῖν ἔφη, Ἴσως μέντοι κινδυνεύσω καὶ ἐγὼ οὐχ ὡς σὺ λέγεις, ὦ Σώκρατες, ἀλλὰ καθ᾽ Ὅμηρον φαῦλος ὢν ἐπὶ σοφοῦ ἀνδρὸς ἰέναι θοίνην ἄκλητος. ἆρα οὖν ἄγων μέ τι ἀπολογήσει, ὡς ἐγὼ μὲν οὐχ ὁμολογήσω ἄκλητος ἥκειν, ἀλλ᾽ ὑπὸ σοῦ κεκλημένος.*

Conuenit inter omnes et conueniat necesse est ex Platonis sensentia siue leuiter eum esse iocatum putamus siue cum Leutschio pg. 108 Antisthenem ceteros id genus Homeri interpretes irridere uoluisse Homerum hoc prouerbium adhibuisse ita quasi esset: *αὐτόματοι δειλοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν;* ex quo quoniam Plato Homerum reprehendit quod corruperit *τὴν παροιμίαν, δειλοὶ ἀγαθῶν* non fuisse ipsum prouerbium quod Platonis animo obuersaretur, consentaneum est.

Iam si quis sequi uelit eam explicationem, qua *ἀγαθοὶ δειλῶν* in uero prouerbio fuisse statuatur, is quaerenti cur Homerus non so-

lum, quod etiam Socrates fecit, mutasse dicatur prouerbium, sed temere ac superbe mutasse, respondere poterit ita: Socratem qui bonos non solum ad minus bonorum sed etiam ad aeque bonorum conuiuia non inuitatos uenire dicat, in eadem permanere sententia, qua bono liceat libertate aliqua uti meritis suis ac uirtutibus freto: Homerum uero, si etiam minus bono idem iuris in eos tribuat quibus inferior est, peruertere totam prouerbii rationem quippe qua uirtuti meritisque iuris aliquid atque licentiae concedatur. Sic esse factum ut Homerus maiorem uim prouerbio inferre diceretur Socrate ipso.

Leutschio uero si quis obsequetur qui post Meinekium ad Athen. T. IV pg. 86 hanc tertiam formam: αὐτόματοι δειλοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν commendauit, is gradationem illam de qua diximus in eo inueniet, quod Socrates qui bonos ad bonos uenire diceret in generali notione de consortio quod inter pares intercederet manserit, Homerus autem, apud quem minus bonus Menelaus ad meliorem accederet uirum non uocatus, a prouerbii ratione quippe quae ut in latino illo: „similis simili gaudet“ ad morum similitudinem spectaret prorsus uideatur desciuisse. Confer Leutschium ipsum l. l. pg. 107 et 108 de hac re disserentem.

Sin quis denique Lachmanno adsentietur, qui cum Schleiermachero praef. ad. Babr. pg. XIX negans „ad Eupolidis acerbitatem“ hoc loco respici, Platonem de forma: ἀγαθοὶ ἀγαθῶν cogitasse dixit atque quod consequens erat, Ἀγάθων' ἐπὶ δαῖτας iussit scribi, ei id discriminis interesse uidebitur inter Socratem et Homerum, ille ut putetur in lenissima mutatione substitisse, Ἀγάθων' dicens pro eo quod est ἀγαθῶν, ita ut ludibundus bonorum notionem ad singularem hominem cui esset Bono nomen transferret, Homerus contra et uerba deseruisse et peruertisse totam sententiam. *Καὶ* autem illud ante

'Αγάθων' uocem positum quam particulam et Leutschius et Rettigius huic sententiae obstare dicunt ne sic quidem explicatione carebit: posse etiam pro generali bonorum notione lubibrii causa hominem aliquem inseri, cui lepido casu nomen sit ex eadem radice deriuatum: quod igitur καὶ particula ante 'Αγάθωνι datiuum conlocata est, eo pertinet ut in hac ipsa uoce illa mutatio deprehendatur; διαφθείρειν deinde uerbo lenis mutationis uel interpolationis notionem inesse iam Astius contra Schleiermacheri interpretationem recte significauit; cui accedit quod in iocosa oratione non est cur anxie uerba premamus.

Iam vero uoces audio conquerentium sic si explicetur Platonem leuissimo lusu uerborum usum esse statui;[5]) quod facile concedo ita tamen ut dicam id genus nugas a Platonico Socrate minime esse alienas; qui enim efficias ut in eis quae sequuntur satis ineptis illis si morosus iudex esse uelis de Homeri temeritate et superbia qua uim prouerbio intulerit, grauem sententiam inesse uel si dis placet diuino Platonis ingenio dignum lusum nobis ostendas? in leui re etiam leuia ioci causa ab eo admitti haud erit difficile exemplis demonstrare. Neque obstabo equidem si quis Agathonis aliquam irrisionem in his uerbis deprehenderit, qua in dubium quodammodo uocetur, num omnibus numeris dignus sit homo ille praeclaro quo utatur nomine: ne id quidem abhorret a Socratica ironia, quae quam late pateat etiam in Conuiuio quamque acerbe in Agathonem ipsum inuehatur non est quod longius demonstrem. Eodem modo ut hoc loco cum Schleiermachero Lachmannoque factum esse puto Agathonis nomine lusit Aristoph. Ran. 84 ἀγαθὸς ποιητὴς, ubi conferas etiam u. 85: εἰς μακάρων εὐωχίαν, in quibus uerbis Macedonum conuiuiis, ad quos se contulerit

---

[4]) Sic re uera existimare uidetur praeter Rettigium et Leutschium etiam V. Fritzschius ad Lucian. Conu. 12.

poeta, adludi Ritschelius uidit. Eis uero grammaticis, qui in elisione ι uocalis in hoc datiuo Ἀγάθωνι tantopere offendunt, quamuis notum sit in Homero eius generis exempla quaedam inueniri (cf. La Roche homerische Untersuchungen pg. 115), ut Ἀγάθωνι hoc loco plenam formam legant propono: quamquam non desunt eius generis adnominationes, quae in accentu solo mutato positae sunt, ut recte recitando tantum lepos qui in eis inest, ea aetate qua accentus nondum scribebantur, potuerit intellegi. Sic memini Aristophanem loco quodam in δῆμος et δημὸς uocibus ludere. Nostro autem loco Ἀγάθων' datiuus dupliciter in pronuntiando ab ἀγαθῶν genetiuo differebat, et accentu et synaloephe, quam neglexisse Hegelocho histrioni in Euripideo illo γαλήν' ὁρῶ fatale fuisse constat: adeo erant teretes Atheniensium aures et earum rerum capaces.

Ex Platonis igitur ipsius uerbis et oratione quod prouerbium ludibundus adhibere et mutare uoluerit, uix ad liquidum demonstrari posse mecum iudicabis: tres enim illae ab interpretibus diuersis initae interpretandi uiae eodem iure possunt uel defendi uel oppugnari. Qua causa eo equidem adducor ut argumenta mea extrinsecus petam h. e. ex eis quae aliunde de prouerbis huius generis sunt tradita: Iam cum illud quod dicitur prouerbium αὐτόματοι ἀγαθοὶ δειλῶν praeter Platonis dubium locum non nisi aeque incerta Eupolidis auctoritate niti uideamus, alterum uero illud: αὐτόματοι δειλοὶ δειλῶν nullo omnino exemplo probatum esse nec a Meinekio nec a Leutschio, nec puto unquam probari posse, nonne consentaneum est Platonem quoque ipsum illud: αὐτόματοι ἀγαθοὶ ἀγαθῶν in mente habuisse quo omnes ceteri qui de his rebus loquuntur usi esse uidentur et antiquioribus et recentioribus temporibus, idem quod Cratinus etiam ante Platonem expressis uerbis antiquum esse dixerat?

Inquirenti denique in ueram prouerbiorum formam ne haec quidem quaestio erit neglegenda, aptaene sint et accommodatae ad humanam naturam sententiae quae in eis inueniuntur. In quo licet concedamus in proverbiis quoque interdum mirabilia reperiri, tamen si optio nobis data sit ea potius eligamus oportet quae non sint contra omnium opinionem: tria autem illa prouerbia si quis tibi proposuerit ut eligas id quod et simplicissimum sit et maxime conuenire uideatur cum Graecorum humanitate, procliuis tibi erit optio: nullus enim dubito quin statim electurus sis id quod nos in principio posuimus, cuius rei causas non est cur longius exponam; locus tantum fuit attingendus. Quod contra est in reliquis duobus: etenim acerbi rustici bellicosi hominis est pro uirtute sua atque fortitudine tanquam ius suum persequi ut gratis ab alio qui ipso inferior sit pascatur; malos denique ad malos sponte uenire non inuitatos, quae tertia forma est proposita huius prouerbii a uiris doctis, id non sine contemptu et reprehensione dici posse arbitror. Veri igitur simillimum hoc mihi uidetur omnem illam de duplici proverbii forma opinionem, in qua statuenda quicumque de eo disseruerunt consentiunt exortam esse ex falsa loci Platonici interpretatione; quae irrepere non poterat, si apostropho et accentu Platoni indicare licuisset eam quam Lachmannus proposuit scribendi rationem.

Vt igitur ad finem tandem perueniatur, uides a me summam in Platonis loco interpretando esse adhibitam moderationem ut ex solo illo rem disceptatum iri desperarem. Hoc uero effectum esse opinor, Schleiermacheri Lachmanni Iahnii interpretationem ceteris explicationibus si uerba per se spectentur non esse inferiorem, superiorem autem si ut par est etiam reliqua respicias argumenta. Quod si quis

malit in uulgata explicatione perseuerare, necesse est concedat errasse Platonem: ignorasse eum proverbium illud quod uulgatum fuisse uidimus et ita quidem ignorasse ut cum ipse idem adhiberet se lepida mutatione id effecisse putaret, Eupolidis fortasse parodia deceptus. Quod quam parum sit probabile ipse uiderit.

Hoc autem prouerbium, VIRI GRAVISSIMI: **ΑΥΤΟΜΑΤΟΙ Δ' ΑΓΑΘΟΙ ΑΓΑΘΩΝ ΕΠΙ ΔΑΙΤΑΣ ΙΑΣΙΝ**, quod siue statuimus Platoni notum fuisse siue quod plerique existimant a philosopho illo ignorante per iocum tanquam inuentum, apud Graecos saepe usurpatum esse demonstrauimus, nostra etiam aetate ualet atque ualebit quamdiu erunt boni homines. Bonos enim inter se tam arto uinculo coniunctos esse oportet ut praeclarum illud **ΚΟΙΝΑ ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ** multiplici ratione uerum esse sentiant. Ex praecepto autem illo si non uerbis tantum sed re ei obsequamur quantum laetitiae in rebus secundis quantum in aduersis solacii nascatur nostrum non est hoc loco exponere cum suus quemque usus doceat: hanc uero bonorum uirorum communionem minime eos neglegere decet, qui optimarum artium sapientiaeque doctores se esse uolunt quibus hoc est propositum, ut quantum fieri liceat per humanum naturam ipsum illud Platonis summum bonum ac pulchrum adsequantur, ut quam

proxime accedant ad diuinam ueritatem, ut id munus exerceant et candidis et ardentibus animis. Magna uero singularum rerum et multitudine et uarietate quae et in natura et in rebus ab hominibus gestis animis nostris occurrunt cum sit effectum ut uniuersa omnium rerum scientia innumerabiles in partes singulasque disciplinas diuideretur, quas nullum unquam saeculum plures uidit quam nostrum, id quoque haud raro accidit, ut in tanta cum studiorum tum ingeniorum uarietate contentione aemulatione commune illud omnium disciplinarum uinculum obliuiscantur etiam praeclari homines. Optime igitur ac sapientissime institutum est ut essent quaedam sacra sollemnia quibus ad communes epulas boni uiri conuocarentur, ut omnes Litterarum Vniuersitates quae quidem Germanicae doctrinae et libertatis sedes sunt eos dies festos haberent et celebrarent summa ciuium laetitia, quibus uel natae uel feliciter sunt auctae. His enim diebus festis animi qui antea erant in singulis rebus accurate pertractandis et quasi cum puluisculo exhauriendis defixi altiora rursus spectare coguntur et illud in memoriam reuocare, quam arte cohaereant fata uicissitudinesque singularum artium ac disciplinarum cum omnium studiorum liberalium uel secundis uel aduersis rebus, cum ciuitatum populorum hominum fortuna ac salute.

Ad tales igitur **ΑΓΑΘΩΝ ΔΑΙΤΑΣ** quae a uobis Boni ac Pulchri sectatoribus splendidissime instituuntur in memo-

riam celeberrimae Vestrae Vniversitatis Ludouico-Maximilianeae ante hoc CCCC annos institutae nos quoque Turicensis Vniversitatis ciues accedimus non ita quidem **ΑΥΤΟΜΑΤΟΙ** ut **ΑΚΛΗΤΟΙ** ueniamus — liberalissime enim atque humanissime illud: **ΚΟΙΝΑ ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ** etiam ad nos pertinere rati ,qui extra Germanici imperii fines ciuiles incolumus, sed ut nolimus esse extra fines germanicarum litterarum, nos inuitastis — sed accedimus laeti lubentesque. Eorum autem nostrum, qui conuiuii participes alius alia uel difficultate uel necessitate impediti non nisi absentes et mentibus esse possumus, interpretes erunt ei uiri quos legatos ad uos mittimus, quorum unus ipse terrae Vestrae ciuis insigne exemplum praebet uel peculiaris quod inter Bauariam et Heluetiam intercedit consortii nec ita rarae praeceptorum etiam inter Vestras et nostras Academias permutationis. Hi uiri Vobis ipsi declarabunt ex animi sententia Vobis nos gratulari ea quae per quattuor haec saecula feliciter adsecuti estis, declarabunt uero eidem quam uehementer optemus ut nebulae illae nuper Vobis inlatae unde „nubilare coepit“ Vestrae Vniversitati, mox diffundantur inuicto Solis h. e. Veritatis ipsius splendore. Valete et festinationi breuitati leuitati gratulatorii huius libelli ignoscite.